Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2047
Quelle:
Copyright:

pebrochius in *Act. SS.* T. IV. *Jun.* in *Dissert. crit.* ad eand. Diem. p. 245. *Pagius* in *Critica Annal.* T. II. ad an. CCCXCVI. p. 8. *De Rubeis* in *Monum. Eccl. Aquilej.* c. 17. col. 152. *Quesnellus* in *Not. ad Leonis M. Epist.* CXXIX. T. II. p. 506. Quod si igitur *Romatiana* Civitas non est *Aquileja*, liquet, non scripsisse Episcopum *Aquilejensem*, quae scripsit *Romatianus*. Immo *Aquilejensem* Seculo paene integro *Romatiano* posteriorem literis aliquid consignatum reliquisse, nemo antiquorum tradit. At vero *Gennadius* jam superius a me productus, et *Aquilejensi* συγγενος c. 22. diserte *Romatiano* tribuit *Instructionis Libellos sex* pro Competentibus ad Baptismum, sequente *Honorio Augustod.* L. II. c. 22. et *Tritbemio* n. 118. atque inter hos *Quintum de Symbolo*, quem eundem esse, qui e Codice *Chisiano* productus lucem nuper adspexit *Patavii*, eo minus ambigo, quod in eo mox sub ingressum Edit. *Patav.* p. VII. eadem verba repetit Autor, quae supra e Libello ejus II. citavi: *His ergo malis se homo expediens has catenas post dorsum suum uelut in faciem projiciens inimici jam sincera* (in Edit. *symbolica*) *uoce pronuntiat: Credo in deum* &c. Perpendat haec Lector, et haud gravate mecum statuet, si de recudenda isthac *Explanatione Symboli*, sive seperatim, seu in quodam Bibliothecae PP. Supplemento res fuerit, *Nicetae Aquilejensi* substituendum fore *Dacicum*, aut *Romatianum*.

II. *fol.* 23. Excerpta Capita ex *Isidori L. III. Sententiar.* et ex *Libris de Vita Contemplativa Juliano Pomerio* tributus, qui tamen jam Sec. X. ut hic fit, *Prospero* inscribebantur. Sunt vero Capita, quae agunt de Hominibus ecclesiasticis, primumque *Isidori de indignis Praepositis*, quod est in edit. *Breulii* c. 34. iniens: *Non sunt promovendi ad regimen* &c. et quanquam utriusque Scriptoris textus cum editis bene conveniat, in praedicto tamen *Cap.* post verba: *et ipse vitiis seruiat*, Codex inserit sequentia, quae *Breulius* non habuit: *Qui se non dignum ad episcopatum existimat, locum eius, qui dignus est, non praesumat. Nam tam sanctum est sacerdotii nomen, ut nulla uitiorum nota maculari se sinat. Grauius enim condempnabitur, qui indignus suscipit, quod non meretur.* Contra vero προσωποποιαν illam inopinam in editis mox sequentem: *Heu me miserum — quid sequar, ignoro;* Codex non adgnoscit, et, ut mihi quidem videtur, recte.

III. *fol.* 53. p. 2. *Incipit pastorale, qualis debeat esse pastor aecclesiae.* Initium: *Diligenter inuestigauimus, & inuestigata cura rescripsimus, qualis debeat esse pastor ecclesię, quomodo ecclesiam sanctam regere debeat, quomodo semetipsum in bonis operibus exerceat, qualiter se considerare debeat, & cotidie pensare omnia studia cordis sui* &c. Hinc ad Episcoporum, Presbyterorum, Parochorum munia particularia descenditur, adumbraturque sacrae admini-